



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 117. Novum Fœdus Insulis sanctitum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

quatuor librarum Turonensium millibus Sæc. XVI.  
 per continuos decem annos solvendis. A.C. 1513.

## §. CXVI.

*Margaritæ & Caroli Archiducum  
 salutatio Henrico VIII.  
 reddita.*

Altera post Henrici ingressum die, Archiduces Margarita, & Carolus ejus nepos Tornacum venerunt, Angliæ Regi partæ victoriæ gloriam gratulaturi. Henricus quindecim omnino diebus, quibus eorum præsentia fruebatur, nil eorum prætermisit, quæ ad utriusque oblectamentum, ac moræ jucunditatem conferrent; agebantur enim ludricæ equitum pugnæ, hastiludia, celebres choræ, equestres ad annulum trajiciendum decursiones, alique omnis generis ludi. Vix Archiducissa ac Carolus Insulas revertebantur, cum ecce! Henricus vicissim eos officiosa salutatione honorat, summa lætitia exceptus, ubi omnium honorum significationes cum summa animi teneritudine ex æquo certabant.

## §. CXVII.

*Novum fœdus Insulis sancitum.*

Præterlapsis aliquot diebus iidem Principes die decima septima Octobris fœdus

du

Sæcul. XVI  
A.C. 1513.

dus utrinque firmarunt, in hanc sententiam, ut Henrico, quodocunque libuerit, in Regnum suum cum exercitu reverti integrum esset, Cæsar vero toto hyemis tempore in Hannonia, & Arthesia cum quatuor equitum, & sex peditum millibus subsisteret, eique ad alendas hæc copias ducenta aureorum millia diverso tempore solvenda suppeditarentur, ac demum Henricus exeunte Mense Mayo anni sequentis victricia sua arma in Aquitanniam vel Normanniam, Cæsar vero in aliam quamdam Provinciam circumferrent; Margarita autem, & Carolus Archiduces, Angliæ Rex, unacum Catharina de Arragonia conjuge sua, ac Maria eorum Filia, priusquam decima quinta Maji dies illucesceret, Caletum venirent, ubi Archidux cum Maria, Regina Henrici filia, solemnibus nuptiis celebraret. His ita firmatis Angliæ Rex die decima septima Octobris Insulis profectus, vigesima quarta ejusdem Mensis Richemundiam in Anglia ad Palatium suum pervenit, illusus a Papa, Cæsare, & Arragoniæ Rege, qui belli molem singulis quatuor communem in solius Angli humeros exonerabant, nullo ferme illius emolumento; cum Teruana solo æquata, & Tornacum rebus ejus minus opportunum esset, solusque Volfeyus Episcopatum, ac pinguem S. Amandi Abbatiam aucupatus,

tus, hujus expeditionis fructum repor- Sæcul. XVI.  
taret. A.C. 1513.

§. CXVIII.

*Helvetiorum irruptio in Burgun-  
diam.*

A deo sinistro hujus belli successu Ludovici XII. res in pessimo loco erant, mediocriter tamen ab adversantis fortunæ invidia sese laceffitum existimasset Rex, nisi ad malorum cumulum accessisset imminens totius Franciæ perdendæ periculum; Helvetii enim Gallis ex Mediolano depulsis Regnum Gallicum hostilibus armis invadebant, rati, quod illud tempore nunquam magis opportuno vastationibus excindendum foret. Ergo a Papa (\*) ac Cæsare stimulati collectum viginti quinque, aut juxta alios Scriptores, nonnisi viginti armatorum millium exercitum in interiores Burgundici Comitatus ditiones effundunt, ipso Cæsare Helvetiis promittente, quod & ipse cum sex equitum millibus in eandem Provinciam irrupturus esset, quamvis nonnisi Udalricus Wirtembergensis Dux cum duobus equitum millibus accessisset. Hæc copię, cum jam jam ad ipsos Burgundici Ducatus fines penetrarent, in totam quoque

(\*) Vid. infra annotationem §. CXXXVI.